

secundum visiones^{a)}, que modo prelecte sunt, Rogerius apostolorum ductu servatur eiusque sine dubio gladio percutientur^{b)}, quicumque adversus eundem rebellare conantur. Memoretur et illud apostoli dicentis: „Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.“ [Röm. 13, 2]. Si ergo peccatum est Dei ordinationi resistere, peccatum est utique ipsius repugnare. Quippe Rogerius nisi potestatem desuper accepisset [vgl. Joh. 19, 11], non potuisset facere quidquam. Caveat ergo se ab eius gladio, non contendat cum eo, ymmo subdatur illi, quisquis divine dispositioni contraire^{c)} pertimescit.

IV, 10. Aliud iterum sompnum percepimus, quod quidam in possessione^{d)} nostri^{e)} monasterii presbyter manens nobis reseravit. Quod idcirco scribendo propalare conamur, ut in omnibus probemus Rogerium non casu, set divine utique providentie intuitu regni solium obtinuisse. Referebat enim, quod eodem anno, quo dux Guyllelmus obiens decesserit, nocte quadam dormiens tale quid per sompni revelacionem vidit. Nempe videbatur sibi, quod esset ipse^{f)} apud Padulum¹⁾ oppidum deforis in campo, ubi quidem cum eo populorum multitudines^{g)} aderant; et ecce subito vitis pulcherrima quedam de terra prodiens in tantum velociter visa est succrescere^{h)}, ut usque altitudinem aeris ab imisⁱ⁾ protendi videretur. Cumque tam sublime erecta demum sic consistere cerneretur, repente in illam ventus validissimus irruit eamque in terram ita deiecit, ut ad nichilum omnino redacta nusquam comparuerit. Ad hec statim de ipso loco terre, quo vitis prodierat, tumulus paulatim oriens cepit post festinanter a superficie terre usque ad staturam unius perfecte etatis hominis sublevari. Deinde^{j)} tumulus ipse versus in petram ad unius longitudinem haste postea supercrescens tandem ita stare conspiciebatur^{k)}. Verum universi populi, qui astabant, videntes vitem ita ad nichilum funditus conversam atque de eodem loco, quo^{l)} vitis ruerat¹⁾, tumulum exsurrexisse^{m)}, simul omnes etiam cum stupore interpretabantur dicentes: „Ideo certe vitis hoc vento interpellente corruit, quatinus de ipsius quo cecidit loco tumulus iste consurgeret.“ Ad hec presbyter a sompno expergefactus,

a) visiones Hs. b) so verbessert d. Hd. d. 16. Jh. aus percutienter Hs.
 c) contraere Hs. d) possessione Hs. e) so verbessert am Rand d. Hd. d. 16. Jh. aus vestri Hs. f) ipso Hs. g) multitudinis Hs. h) succscere Hs.
 i) himis Hs. ist wohl ein Abschreibfehler, in der Vorlage stand vermutlich ab imis oder humis. j) deine Hs. k) conspicebatur Hs. l) so verbessert d. Hd. d. 16. Jh. aus eo vitis ruerant Hs. m) exsurrexisse Hs.

¹⁾ Paduli, Prov. Benevent.